



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 526. Crimina, ob quæ Clericus in perpetuum deponi potest, quænam sint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

ficiū correspondet, hoc ipso indirectè deponendum esse à beneficio ob eandem rationem, quia beneficium datur propter officium, cum gl. in can. 1. *caus. 1. q. 3.* Suar. *l. c. n. 14.* & Laym. *l. c.* asserit Reiffenst. *h. t. n. 23.*

2. Resp. ad secundum: depositio alia est verbalis totalis, de qua hucusque dictum, quæque intelligitur, dum quis simpliciter & sine addito jubetur deponi, sitque & fieri solet per sententiam oratoris proferendam, & est propriè simpliciter loquendo depositio. Barb. *de off. & potest. Episc. alleg. 110. n. 2.* Alia partialis, quæ vel à solo officio vel à solo beneficio dejicit criminatum, quæ si signatè quis in iure deponitur à solo beneficio, nequaquam ab Ordinibus & officio depositus aut deponendus est. Suar. *de cens. d. 30. s. 1.* Reiffenst. *h. t. n. 7.* dum autem depositus beneficio spoliatus non est, alimenta ei assignanda ex fructibus beneficii, ne cum opprobrio mendicare cogatur. Felin. *in c. ex parte. de accusat. n. 4.* Suar. *l. c. n. 3.* & 4. Sayr. *L. 4. thes. c. 22. in fine.* Castrop. *l. c.* Avil. *de cens. p. 4. d. univ. du. 1. concl. 3.* Laym. *L. 1. Sum. tr. 5. p. 3. c. 5. n. 2.* & 3. quin etiam post beneficii spoliationem subministranda hæc alimenta, censent Sayr. & Avila. Verùm posterioris contrarium rectius doceri à Covar. *L. 3. var. c. 13. n. 8.* & Bonac. *de cens. Tom. 1. d. 4. p. univ. n. 8.* ait Castrop. *l. c.* eò quòd depositus sibi imputare debeat eam, quam patitur, necessitatem, neque in opprobrium clericatus cedat, quòd sic depositus hac alimentorum privatione puniatur, maximè, ut Laym. *n. 3.* si post depositionem incorrigibilis existat.

Quest. 524. Num depositus simpliciter & absolutè privetur privilegio clericali fori & canonis?

Resp. negativè: nisi in sententia depositionis expressè exprimat hęc privatio. Abb. *in c. at si Clerici de iudiciis. §. de adulteris. n. 2.* Nav. *c. 27. n. 81.* Diaz. *pract. à n. 9.* Suar. Avil. *LL. cit. Bonac. l. c. n. 3.* Castrop. *l. c. n. 2.* Barb. *p. 3. de potest. episc. alleg. 110. n. 3.* Wiestn. *h. t. n. 73.* arg. *c. cum non ab homine. de iudiciis.* ubi Clericus depositus non permittitur curiæ sæculari, nisi crescenti fiat incorrigibilis, quam ipsam etiam limitationem ad summum habere veritatem post incorrigibilitatis declarationem, quinimò satis probabile esse, opus esse non solum sententiã declaratoriã incorrigibilitatis, sed etiam privativã dicti privilegii ob incorrigibilitatem, eò quòd nullibi cautum videatur amitti privilegium illud clericale, astruit Castrop. *l. c. n. 3.* citans pro hoc Laym. *l. c. tr. 6. p. 5. c. 5. n. 3.* Suar. *l. c. n. 7.* Tolet. *L. 1. c. 50. §. adverte.*

Quest. 525. An & quando Episcopus in pœna depositionis dispensare possit?

Resp. tamen, ut dictum in definitione depositionis, ea ex natura sua sit perpetua & irremissibilis, & vel hoc ipso inducat perpetuam inhabilitatem ad quodvis beneficium, tam à quo depositus est, quam ad aliud denuò obrinendum, ut cum Suar. *l. c. n. 5.* Reiffenst. *h. t. n. 26.* potest tamen Episcopus cum clericis ob adulterium eoque minora crimina post peractam penitentiam dispensare, eosque in integrum restituere ex concessione ab Alexand. facta *in cit. c. at si Clerici.* Abb. *in cit. c. §. de adulteris, à n. 1.* Barb. *ibid. n. 8.* & Gonz. *n. 1.* qui etiam hanc restitutionem depositorum cum R. P. Leur. *Jur. Can. Lib. V.*

Abbate astruit Capitulo sede vacante. His non obstante, quòd depositus sit infamis. *can. infames. 6. q. 1.* infames autem famæ restituere solius sit Papæ, arg. *c. cum te. de Sent. & rejudic. L. 1. §. 10. ff. de postul.* Nam etsi soli Papæ & Supremo Principi directà restitutio famæ seu in integrum ratione famæ reservetur, indirecta tamen, seu quæ sit per quandam consequentiam *cit. §. 10.* permittitur Prætoris; unde licet Episcopus in pœna infamæ dispensare non possit, potest tamen dispensationem, tollendo depositionem, indirectè tollere infamiam ex ea ortam: ita Abb. *in cit. c. at si clerici. num. 15.* Wiestn. *h. t. n. 75.* Reiffenst. *n. 29.*

Quest. 526. Crimina, ob quæ Clericus in perpetuum deponi potest, quænam sint?

Resp. tamen si præcis canonibus severiori disciplinæ ecclesiasticæ moribus magis accommodatis multa istiusmodi crimina depositionis pœnæ obnoxia numerarentur, & inter ea adulterium, stuprum, incestus, furtum, homicidium simpliciter talia, iisque etiam minora crimina, hodie tamen, rigore illo non parùm remittente, non nisi criminibus, non tantùm purè ex natura sua & objecto gravibus, sed circumstantiis & adjunctis qualitatibus valde atrocibus & scandalosis prudenti arbitrio Judicis hæc pœna depositionis statuenda & infligenda, v. g. adulterio, stupro & incestui violento, homicidio voluntario præmeditato, furto sacrilego rei pretiosæ, aut in majore quantitate, concubinarum notorio & post multas monitiones continuato &c. ita Abb. *in c. at si clerici. de iudic. n. 33.* Laym. *L. 1. tr. 5. p. 3. c. 5. n. 2.* Castrop. *tr. 29. p. ult. n. 4.* Arg. *c. si autem. de cohab. Cler. & mul. Trid. Sess. 22. de observand. in celebr. missar.*

Quest. 527. Quid, & quotuplex sit degradatio?

1. Resp. ad primum: degradatio (quæ & depositio realis vocatur) est pœna ecclesiastica, quæ Clericus Ordine & munere clericali, & consequenter omni beneficio & officio nec non fori & canonis per sententiam solenniter perpetuò privatur & Curiæ sæculari traditur ab eadem juxta leges puniendus, sive ut alii, ut transeat in potestatem sæcularem, ut instar laici incarcerationi ac puniri secundùm leges civiles possit. Dicitur autem: *per sententiam*, quia non infligitur ipso jure, sed per Judicem ecclesiasticum imponi debet, cum ad eam requiratur certa solennitas jure præscripta. *c. degradatio. h. t. in 6.* Dicitur quoque: *privatur privilegio fori & canonis*, quod tamen ad degradationem tantum verbalem extenditur, Barb. *ibid. n. 9.* Abb. *in c. ad abolendam. de heret. cum*, ut cum gl. *in c. degradatio. in 6. v. privilegio. n. 11.* Reiffenst. *h. t. n. 34.* Wiestn. *n. 76.* solummodò verbaliter degradatum percutiens non incurrat excommunicationem. *can. si quis suadente.*

2. Resp. ad secundum: degradatio distincta à depositione simplici, alia est verbalis, quæ fit per sententiam authenticam & solennem, alia realis seu actualis, quæ hanc sententiam certis ceremoniis & ritibus exequitur.

Quest. 528. A quibus fiat degradatio?

1. Resp. primò: degradatio Episcopi verbalis fieri potest à solo Summo Pontifice. *c. accusat. & c. quamvis. 3. q. 6.* Castrop. *cit. p. ult. n. 7.* cum Abb. *in c. grave nimis, de præbend. n. 4.* & *c. non potest.*